

ORDINIS MEDICI

IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T. DECANVS

DANIEL WILHELMVS  
TRILLERVS

PHILOS. ET MED. DOCT. CONSILIARVS AVL. ELECT. SA-  
XON. MED. PROF. PVBL. ORD. PRIMAR. ET ILLVSTR.  
ACAD. BONONIENSIS SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XX. AVGVST. A. C. MDCCLXXXI.

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA EXERCITATIONE MEDICO - CRITICA

DE

ALLVVIONE ALIMENTARIA

AB HIPPOCRATE APPOSITE

DESCRIPTA.

Lit. Graec.

B.

761,112

JOHN WILSON  
OF  
DARTMOUTH COLLEGE  
THE  
LIBRARY  
OF  
DARTMOUTH COLLEGE  
HANOVER, N.H.  
1850



Q. D. B. V.

**Q**uid proprie sit *Alluio*, et ad quodnam potissimum ius specialiter illa pertineat; naturale scilicet potius, atque Gentium; quam quidem Ciuile; cunctis certe solertioribus ac doctioribus IureConsultis notissimum esse arbitramur, qui nempe ipsa Digesta quotidiana fere et assidua lectione, quasi secum digerunt, atque in succum ac sanguinem convertunt, et in ipsum Codicem altius potius scrutando penetrant, quam in ipsius arido Cortice externo obiter tantum ac perfunctorie haerent. Etenim vel ex ipsis summi Imperatoris IUSTINIANI *Institutionibus* <sup>a)</sup>, etiam tum, quum iuuenes adhuc essent, illud quidem iam dudum haud dubie didicerant, cuius certe clarissima hanc ipsam in rem sunt verba atque praecepta distinctissima: *Quod per Alluionem, agro tuo flumen adiecit; iure Gentium tibi acquiritur. Est autem alluio Incrementum latens. Per Alluionem autem id videtur adiaci, quod ita paulatim adiacitur, ut intelligi non possit, quantum quoque temporis momento, adiaciatur.*

Quae quidem sententia etiam in ipsis *Pandectis*, <sup>b)</sup> totidem paene verbis, ut et postea in *Codice* <sup>c)</sup> repetita legitur, adeo, ut inde haud necesse videatur, semel iam bene dicta,

a 2

bis

a) Lib. II. Tit. I. §. 20. et 21.

b) L. VII. §. I. ff. de acquirendo Rerum dominio.

c) L. I. C. de Alluv. et Palud.



bis, aut ter, male ac fastidiose, denuo huc reuocare. Caeterum vero de *Alluione*, eiusque iure, interdum adhuc controuerso, complures iam Auctores, Veteres ac recentiores fufe diligenter et accurate commentati sunt, quos suo quidem tempore notos, laudat et commendat Vir, omnibus illis longe maior ac praestantior, HUGO nempe GROTIUS<sup>d)</sup> qui ipse de hoc arduo *Alluionis* argumento, tam docte, acute, prudenter ac perite, more scilicet semper solito, egit, vt vel inde immortale ipsius nomen in nullam vnquam obliuionem venire possit. Interea illis adhuc merito addendi sunt, qui in istum *Digestorum* locum quam diligentissime commentati sunt, inprimis DIONYS. GOTHOFREDVS, et SIMON VAN LEEVWEN, aliique apud ipsum, item et qui in *Institutiones Iustinianneas* eruditae Observationes conscripserunt, praesertim IVSTVS VVLTEIVS, item VINNIVS, LOCAMERVS, REBHANIVS, OBRECHTVS aliique plures, nam largissima profecto hic est Commentatorum anthona, vt de nimia paene copia quodammodo conqueri queamus; quam de parca nimis sterilique inopia. Commemorari tamen adhuc hic vtique meretur magnus ille CVIACIVS<sup>e)</sup> et ipsi paene compar HEINECCIUS ille olim noster<sup>f)</sup> item COELIVS RHODIGINVS<sup>g)</sup> WENDELINVS<sup>h)</sup> IO. CALVINVS<sup>i)</sup> HOFFMANNVS<sup>k)</sup> ECKOLTVS

d) Lib. II. de *Iure Belli et Pacis*, cap. VIII, §. 8. seqq. pag. 318. Edit. Cl. BARBEYRACII. Conf. et eiusdem GROTI. *Flor. Spars.* ad *Ius Iustinian.* pag. 205. vt et ipsius *Not.* ad AVIENI *phaenom.* ARAT. v. 1249.

e) *Observat.* Lib. II, cap. 9. pag. 53. sq. et ad Lib. II. *Instit.* Tit. de *Rev. diuis.*

f) *Element. Iur. ciu. secundum Inst.* p. 97. sqq.

g) *Leet. Antiq.* Lib. XVIII, cap. 34.

h) Lib. de *Edmirandis Nili*, cap. VII. pag. 61. seqq. et passim.

i) *Lexic. Iurid.* pag. 61.

k) *Lexic. Vniuersal.* Tom. II. pag. 27. seqq. et *Contin.* Tom. II. pag. 292. sqq.



TVS <sup>1)</sup> et forsan nonnulli adhuc alii, clarissimis Ictis haud dubie notiores, quam mihi met ipsi; qui scil. tantum e longinquo, haec ipsa castae Themidos sacra interdum respicio ac colo, haud vero propius ac penitius introspecio et perscrutor.

Ne igitur forte iusto diutius in alieno veluti foro, litigasse, aut extra oleas temere diuagatus esse videar, vt vulgo quidem dici solet; protinus nunc certe pedem manumque verecunde retraho, atque ad meam metam medicam me potius conuerto, spartamque mihi dudum demandatam ac commendatam denuo occupo; ita tamen, vt mihi quaedam monita et momenta circa ipsam quidem *Alluionem*, historice, physice ac critice instituenda, Medicorum potissimum, et aliorum huius quidem rei haud satis gnarorum, in gratiam, praemittere paucis prius liceat; quo sic deinde tanto facilius, commodius et euidentius apta transitio fieri possit ad ipsam meam nouam Commentationem, *de Alluione alimentaria* ΗΙΠ-ΠΟΚΡΑΤΙΣ, clarius illustrandam, et aptius curatiusque explicandam. In vtraque enim est vere *Incrementum latens*, vt ipse IVSTINIANVS supra scite loquebatur, siue *ἀύξησις λανθάνουσα*, seu *λαθῆσα*, vt et *ἀύξημα κεκρυμμένον*, vt Graeci pariter eleganter dicunt, de quo mox plura.

Ea nimirum Fluminibus, vastis praesertim, atque ambitiosis, singularis est natura et indoles, vt illas quidem terras, vel regiones, quas cursu suo festino praeterlabuntur, aut raptim tantum carptimque lambant, nihilque, aut certe perparum, de illis delibent, secumque abducant, aut contra, lente taciteque mordeant, particulas terrarum maiores sensim abradant, secum furtim auerant, atque demum in alio loco rursus deponant, et sic alienos agros noua alluionis accessione, augeant ac ditiores reddant.

a 3

Quod

1) In *Compendiaria Pandectar. Tractatione*, pag. 953. sqq.



Quod certe subtile ac singulare inter hunc diuersum vtrumque effectum, discrimen nec ipse HORATIUS<sup>m)</sup> ignorasse videtur, dum vno loco canit: *quae loca fabulosus Lambit Hydaspes*; et altero,<sup>n)</sup> e contrario: *Rura, quae Liris quieta Mordet aqua, taciturnus Annis*. Vnde sat manifesto, putem, liquebit, rapidum illum *Hydaspem* properanter nimis praetercurrendo, vicinas terrarum oras tantum obiter lambendo, leuiter attigisse, nihil quidquam vero ex illis auide haussisse, secumque furtim abstulisse: istum contra taciturnum *Lirim* diutius circa rura morando ac cunctando, non mediocrem ipsorum partem sensim admordisse, exedisse atque clanculum secum asportasse, vt eam rursus alibi gratis deponeret, et sic alienas terras noua sua et inexpectata prorsus alluione et accessione liberaliter de alieno scilicet, locupletaret, suae, vt GROTIUS noster,<sup>o)</sup> scite loquitur, *alios ditaret, alios vero pauperaret*. Quorsum et omnino respexit CASSIODORVS<sup>p)</sup> sequenti acuta certe sententia: *Mare vastissimi Fluminis, aliis spatia tollit; aliis rura concedit*. Vbi de Nilo loquitur, et simul plura de ipsius violenta inundatione, pingui ac limoso aggestu, et edaci denique ipsarum terrarum abrasione, ita, vt inde ipsius terrae facies pristina sic indiscreta plane relinqueretur: de quo mox plura in sequentibus.

Sic igitur quam plurima quidem flumina, praesertim autem ex iis, spatiosiora, latiora et profundiora, more certe suo, et naturali veluti indole, auferunt, et adferunt, auhunt,  
et

<sup>m)</sup> Oda XXII. Lib. I. conf. hic HOFMANNI *Lexic. Vniuersal.* Tom. I. pag. 794.

<sup>n)</sup> Oda XXXI. Lib. I. conf. SIL. ITAL. Lib. VIII. v. 400. et citat. HOFMANN. Tom. I. pag. 923.

<sup>o)</sup> Lib. II. *de Iure Belli et Pacis*, Cap. VIII, 16. pag. 324.

<sup>p)</sup> Lib. III. *Var.* 52. pag. 229. et Lib. VII. *Var.* 6. pag. 451.



et aduehunt, amouent, et admouent, deplent ac replent, deponunt et reponunt, abdunt et addunt, abducunt denique atque adducunt. Graeci vero eandem quidem ipsam rem scite sic exprimunt per ἐπίκλυσιν, deinde ἀπόκλυσιν, et demum, πρόσκλυσιν, seu πρόσβλησιν, hoc est, *alluionem, ablutionem et oblationem, vel additionem*; siue adhuc breuius, per εἴρησιν, et αὐξήσιν, item ὑπονόσησιν et αὐξήσιν, vt est apud HELIODOR. Lib. IX. pag. 443 sqq. id est *decrementum et incrementum*, item et frequentius, per ἀφαίρεσιν, ac πρόσθεσιν, siue *ablationem et adpositionem*. Ita enim de ipso quidem Nilo, admirando illo ac salutifero Aegyptiorum fluuio, manifeste STRABO <sup>q)</sup>: ὁ Νεῖλος, κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεῖς, καὶ ἐναλλάττων τὰ χήματα: *Nilus, per incrementa sua addens, minuens, faciemque ac signa immutans*: quale quid etiam apud HERODOTVM <sup>r)</sup>, DIODORVM SICVLVM <sup>s)</sup>, ARRIANVM <sup>t)</sup>, HELIODORVM <sup>u)</sup>, ARISTIDEM <sup>x)</sup>, THEOPHYLACTVM SIMOCATT. <sup>y)</sup>, CASSIODORVM <sup>z)</sup>, MELAM <sup>a)</sup>, aliosque plures, qui de *Nili admirandis*, cateruatim quasi scripserunt <sup>b)</sup>, abunde legere et intelli-

q) *Geograph.* Lib. XVII. pag. 915.

r) Lib. II. c. 19. 20. seqq. et Lib. IV.

s) Lib. I. 32. pag. 37. seqq. Tom. I. Opp.

t) Lib. *de Reb. Indic.* pag. 520. sqq.

u) Lib. IX. *Aethiop.* pag. 443. seqq. et Lib. X.

x) *Hymn. in Iou.* pag. 8. Tom. I. Opp. et maxime in *Orat. Aegypt.* pag. 331. sqq. Tom. II. per tot.

y) *Hist. Mauric.* Lib. VII. cap. 17. pag. 365. sqq.

z) *Loc. supracitato.*

a) Lib. I. cap. 9. vbi vid. *Voss.* pag. 361. sqq.

b) Vid. SALMAS. *Ex. Plin.* p. 295. sqq. BOSCHARTI *phaleg.* pag. 263. 1sqq. BARTH. ad CLAUD. p. 1023. sqq. et 133. sqq. HOFMANN. *Lex. Vniuers.* T. II. pag. 27. sqq. et *Contin.* T. II. p. 292. sqq. DAV. MILLII *Diss. de Nilo,*



telligere licet; quemadmodum et inde, eodem certe sensu, apud IAMBlichVM<sup>c)</sup> occurrunt προθέσεις, καὶ ἀφαιρέσεις τῶν Νείλων, *Appositiones ac depositiones, seu ablationes ipsius Nili.* Quamuis ipse SENECA hic quidem secus sensisse videatur, sequentibus scilicet verbis, lectu certe dignis<sup>d)</sup>: *Mira aequae naturae fluminis, (Nili) quod, quum caeteri Amnes abluant terras et euiscerent; Nilus tanto caeteris maior, adeo nihil exedit, nec abradit; ut contra adiciat vires, minimumque in eo sit quod solum temperet: Illato enim limo, arenas saturat ac iungit: debetque illi Aegyptus non tantum fertilitatem terrarum; sed ipsas.* Verum si sic Aegyptus ipsi quidem Nilo istas suas terras debet per pinguem nempe illum limum in longo illo suo et ambagioso itinere, undique collectum ac congestum, aduectas quasi atque ibi depositas, ac consolidatas, ipso certe SENECA aperte hic fatente, verior omnino, nisi fallor, sententia illa STRABONIS, testis quippe αὐτόπτης, et reliquorum Auctorum, supra iam laudatorum, videtur, ipsum nempe Nilum sua foecunda quidem inundatione, terras veteres auferre, nouasque aliunde abreptas et aduectas vicissim adferre, deponere ac constipare, atque inde adeo, interdum etiam maiores et patentiores insulas subito quasi procreare, et in lucem publicam derepente proferre, stupentibus cunctis nouum illud naturae parturientis miraculum visentibus, obseruante post ipsum HERODOTVM, aliosque supra laudatos, ipso PLINIO<sup>e)</sup>, atque sic inter alia, per  
quam

*Nilo, Wendelin. de Admirand. Nili, per tot. et Obs. nost. ad GROTTII Christ. pat. p. 323. 337. et 406. sq. et ibi laudatos Auctores, item in Not. ad Somn. Scip. p. 459. T. I. poem. ut alios plures taceam.*

c) Lib. de Vita Pythag. cap. 29. pag. 134. vbi vid. KÜSTER. et conf. CUPERI Obs. Lib. III. cap. 5. pag. 281. sqq.

d) L. b. IV. Natural. Quaest. Cap. II. pag. 610. sqq. conf. et Lib. VI. cap. 26. pag. 666.

e) Lib. II. cap. 85. et 87. et Lib. V. cap. 9. fufe.



❧ ❧ ❧

9

quam ingeniose, ut scilicet solet, scribente *f*): *Nascuntur et alio modo terrae, ac repente in alto mari emergunt, veluti parva secum faciente Natura; quaeque hauserit hiatus, alio loco reddente.* Haecenus quidem ille. Sed de ipso quidem *Nilo* nihil nunc amplius: de quo quippe iam sat dictum est, quantum nempe commode faceret ad ipsum nostrum Institutum.

Nunc vero illico transeamus, sed mente potius, quam corpore, ad alium fluuium, aequae magnum, remotum, et vel ex ipso *sacro Codice* satis notum, nimirum *Euphratem*, qui nempe propter crebriores et vehementiores, exundationes, et inde enatas frequentiores Alluiones, et ipsarum terrarum imminutiones et augmentationes, ipsi quidem *Nilo* in plerisque paene compar esse videtur, siquidem ipse *CICIRO*<sup>g</sup>), ita de illo acute scripsit: *Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis, quasi novos agros inuehit:* quod ipsum pariter affirmant, suaque auctoritate ulterius confirmant *STRABO*<sup>h</sup>), *ARRIANVS*<sup>i</sup>), *PLINIVS*<sup>k</sup>), *SOLINVS*<sup>l</sup>), *LVCANVS*<sup>m</sup>), aliique laudati iam a *BETVLEIO*<sup>n</sup>), sed plura hac ipsa de re, et pressiore inter Nilum atque Euphra-

*f*) Lib. II. cap. 86. conf. huc etiam l. 29. et 30. §. 2. seqq. ff. de acquirendo Rerum dominio, et ibi Comment. item *SENEC.* Lib. de prouid. cap. I. ac *PHILO IVD.* Lib. Quod Mundus sit incorrupt. p. 743.

*g*) Lib. II. de Natura Deorum. cap. 52. pag. 3031.

*h*) Lib. II. et Lib. XVI.

*i*) Lib. VII. de Exped. Alex. p. 453. sqq.

*k*) L. V. c. 24.

*l*) Polyhist. cap. 37.

*m*) Lib. III. Pharsal. conf. *LVCRET.* et *MANIL.*

*n*) In Not. ad istum *CIC.* locum Vol. IX. Opp. per *VERBURG.* pag. 3031.



phratem, comparatione vide si lubeat, apud SALMASIVM <sup>o)</sup>, BOCHARTVM <sup>p)</sup>, WENDELINVM <sup>q)</sup>, DAVID. MILLIVM <sup>r)</sup>, et praesertim, HOFMANNVM <sup>s)</sup> vt CELLARIVM, <sup>t)</sup> CLVVERIVM, aliosque notiores Geographos iam studio, tacite praetereamus. Denique etiam nec *Padus*, celebris ille et spatiosus Italiae fluvius sicco veluti pede, a nobis hic transfiri debet. Licet enim ab ipso Nilo atque Euphrate, ratione situs, vt et Cursus, longissime remotus sit, eeu omnibus notum; ipso tamen affectu, indole et ipsius alluionis aditu et abitu, vtrique sane perquam similis esse deprehenditur; dum nempe his nunc terris rapido suo cursu, *orbitatem* infert, lugentibus quidem colonis; nunc vero aliis rursus *ubertatem* impertit, gaudentibus admodum accolis, vtpote de alieno et aliunde aduentitio veluti lucro, et aduectitio munere rurali, subito praeter spem et opinionem, locupletatis.

Sic enim PLINIUS <sup>u)</sup> ex feliciori quidem ISAACI VOS-  
SII <sup>v)</sup> emendatione, infeliciori CLAVD. SALMASII <sup>w)</sup> conie-  
cturae scite opposita: *Augetur Padus ad canis ortus, liqua-  
lis niuibus, ac his, quam natiuis, torrentior, nihil tamen  
ex raptis sibi vindicans, atque vbi linquit, ubertatis lar-  
gitor.* Quem ipsum PLINII locum paullo quidem obscurio-  
rem

o) *Exercitat. Plinian.* pag. 437. sqq.

p) *Phaleg.* Lib. I. cap. 8. pag. 33. sqq.

q) *Lib. de Admirand. Nili,* cap. 7. pag. 60.

r) *Dissert. de Nilo et Euphrate,* pag. 24. sqq. *syllog. dissertat. select.*

s) *Lexic. Vniuersal.* Tom. I. pag. 623. sqq. et *Contin.* T. I. pag. 692.

t) *Geograph. Antiq.* T. II. Lib. III. cap. XI. pag. 377. sqq.

u) *Lib. III. cap. 16. vbi conf. Not. Var.* pag. 171. seqq. et praesertim HAR-  
DVIN. pag. 173. et pag. 186. Tom. I. *Opp.*

v) *Observat. ad Pompon. MELAM,* Lib. II. cap. 4. pag. 468.

w) *Exercitat. Plinian.* pag. 59.



rem ita egregie illustrat AGGENVS VRBICVS \*): *Circa Padum quum ageretur, (quod Flumen torrens, et aliquando tam violentum decurrit, ut alueum mutet, et multorum late agros trans ripam, ut ita dicam, transferat, saepe etiam insulas efficiat,) CASSIVS LONGINVS, Vir prudentissimus, hoc statuit, ut quidquid aqua lambendo abstulerit, id possessor amittat.:* et quae ibi sequuntur hanc ipsam in rem ac controuersiam, plura; de quibus tamen hic non est tractandi locus sat commodus. Hinc audiamus nunc demum LVCANVM potius, ipsas rapidas Padi exundationes ita significantius ac viuidius describentem et ipsius quidem vasto torrente adhuc torrentiorem atque attonitos fere Lectorum animos secum violentius rapientem a):

*Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas  
Excurrit ripas, et totos concutit agros:  
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem  
Vndarum non passa, ruit: tum flumine toto  
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos:  
Illas terra fugit dominos; his rura colonis  
Accedunt, donante Pado.*

Sed plura, immo paene omnia, quae dici ac sciri poterant de ipso quidem Pado; operose collegit diligentissimus certe HOFMANNVS b) saepius hic iam a nobis merito laudatus, qui inde, si opus, ibi consulatur.

b 2

Super.

z) *Comment. in IUL. FRONTIN. de Limitibus Agrorum, inter Scriptores Rei agrariae, a WILHELMO GOESIO coniunctim editos, pag. 57. quem et vid. in Not. pag. 150. vbi et ipse coniecturam illam Salmasianam infausa certe hora natam, merito reiecit.*

a) *Lib. VI. Pharsal. v. 272. sqq. conf. et Lib. II. v. 408. sqq.*

b) *Lexic. Vniuersal. Tom. II. pag. 81. seqq.*



Superfunt quidem nonnulli adhuc alii maiores fluvii, de crebris certe Alluionibus nunc plus, nunc minus celebres, aut famosi, vt *Danubius, Rhenus, Vistula, Visurgis, Odera, Mosa*, et ipse *Albis* nobis certe proximus, aliique plures, de quibus *PLINIVS* <sup>6)</sup> aliique Geographi plenius et accuratius agunt, ceu notum satis. Sed illos quidem cunctos, ob occupatum iam maximam certe partem, spatium, nunc prorsus inexploratos praeterfluere sinamus. Iam enim tempus demum est, vt relicta illa *Alluione*, sensu quidem *primario, naturali*, aut *iuridico*, sumta, nunc potius confestim transeamus ad alteram *secundariam* veluti *Alluionem*, sensu nempe *metaphorico*, aut *allegorico*, ab *HIPPOCRATE* ipso acceptam et ad ipsam corporis nostri quotidianum nutrimentum et augmentum aptissime et acutissime translata: vt ex sequentibus certe verbis <sup>7)</sup> clarissime et apertissime, spero, iam patebit: Δύναμις τροφῆς κρεσσων, ἢ ὄγκος. Ὁγκος τροφῆς κρεσσων, ἢ δύναμις, καὶ ἐν ὑγροῖσι, καὶ ἐν ξηροῖσιν. Ἀφαίρει, καὶ προστίθει τὸ αὐτὸ τῷ μὲν ἀφαίρει, τῷ δὲ προστίθει τὸ αὐτό; *Alimenti facultas mole praestantior; Alimenti moles facultate praestantior, et in humidis et in siccis. Detrahit, et apponit idem: huic quidem detrahit; illi vero apponit idem.* Licet igitur in ipsius quidem *GALENI* luculentis in hunc ipsum *HIPPOCRATIS* *Librum Commentariis*, hodie nihil quidquam reperiatur, quod ad huius certe singularis loci illustrationem aliquid conferre possit; quoniam nempe factorum iniquitate, quod sane dolendum! ipsa illa reconditae huius sententiae interpretatio tota periit, vt ex foedis lacunis ibidem relictis, manifesto patet: <sup>8)</sup> Ac recentio-

<sup>6)</sup> Lib. III. cap. 16. et Lib. IV. cap. 14. atque passim alibi; conf. et *WENDELIN. de Admirand. Nili*, cap. VII. pag. 61. seqq.

<sup>7)</sup> Lib. *de Alimento*, pag. 598. Tom. I. Opp. per *LIND.*

<sup>8)</sup> Vid. Tom. VI. Opp. *GALENI*, per *CHARTER.* pag. 298.



centiores etiam interpretes vt PROSPER MARTIANVS, <sup>f)</sup> ZWINGERVS, <sup>g)</sup> paucique alii parca veluti manu, pauca tantum generaliora obiter hunc ipsum in locum attulerint: Vix tamen vllum spero, supererit dubium, quin ipse HIPPOCRATES noster ingeniosam hic fecerit *allusionem* ad vndosam istam fluminum *Alluionem*; praesertim, quum easdem certe voces, ἀφαιρέσιν nempe, atque πρόσθεσιν, adhibuerit, quibus ipse STRABO, IAMBLICHVS, HELIODORVS, aliique supra laudati, proprie vsi sunt de ipsis foecundis Nili exspatiati alluionibus scite et significanter exprimendis. Sed quid plura? ipse noster HIPPOCRATES <sup>h)</sup> alio quidem loco insigni, hanc ipsam nostram sententiam egregie prorsus atque vberrime sequentibus confirmat dictis, notatu certe dignissimis: Αὐξεται ὁ ἄνθρωπος, ἀπὸ τῆς ἐλαχίστης, ἐς τὸ μέγιστον, ἐκ τῶν ὑπερεχόντων ἀφαιρέμενος, τοῖσιν ἐλλείψει προστιθῆς, τὰ ξηρὰ ὑγραίνων, καὶ τὰ ὑγρά ξηραίνων: *Augescit Homo a minimo, ad maximum; ex superabundantibus detrahens, et deficientibus apponens, sicca humectans, et humida siccans.*

Accedit hic vel maxime, in omnibus paene locis, vbi de alimentis ac nutritione agit, semper fere de fluminum et fontium alluionibus et effluuiis comparisonem ac similitudinem perquam apposite atque acute esse haustam quasi ac deriuatam: Inde verba ἀρδεῖν, et ὀχετεύειν, ἀπὸ τῶν ὀχετῶν, vbique fere hoc certe sentu allegorico, occurrunt, ipso quoque obseruante FOESIO, <sup>i)</sup> vt ex sequentibus quidem locis selectis luculentius patebit. Ita igitur de Venis et Arteriis ele-

gan.

b 3

f) Comment. in HIPPOCRAT. pag. 126.

g) Comment. in HIPPOCRAT. pag. 338.

h) Lib. I. de *Diaeta*, pag. 194. Tom. I. Opp.

i) *Oeconom.* pag. 57. et pag. 286.



gantissime loquitur Noster: <sup>k)</sup> αὐταὶ πηγαὶ Φύσιος ἀνθρώπων, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθα ἀνὰ τὸ σῶμα, τοῖσιν ἀρδεύεται τὸ σκῆνος: *Hi ipsi fontes sunt humanae Naturae, et hic flumina sunt, quibus totum corporis ipsius tabernaculum irrigatur:* de quo insigni certe loco iam alibi bis a nobis satis actum est. <sup>l)</sup> Isti vero fontes distinctius a Nostro describuntur alio in Libro. <sup>m)</sup> Quorum et illud imprimis spectat: <sup>n)</sup> Ἀρδόμενα ὑπὸ τῆς τροφῆς αὐξεται ἕκαστα, τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν, κ. τ. λ. καὶ τὰ ἄλλα ζῦμπαντα, ὅσα ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ἐνῆ: *singula ab alimento irrigata augmentum capiunt, calidum et frigidum, (vid. ibi reliqua) et alia universa, quae in homine quidem insunt:* ut alia id genus plura, apud ipsum, iam tacite praeteream. <sup>o)</sup> Istum vero praesertim locum, modo laudatum ipse IOANNES CHRYSOSTOMUS <sup>p)</sup> attentius respexisse, et pro foecunda sua facundia, ita quasi amplificasse, ac comitius exornasse, utique videtur: ἐκ τῆς τῆς τροφῆς διαμασηθείσης χυλῆ καὶ ὀφθαλμοί, καὶ παρειαί, καὶ ῥίνας, καὶ ὀφρύες, καὶ χεῖλη, καὶ ὅλον ἀρδεύεται τὸ σῶμα. Καὶ ἐπι-

k) Lib. de Corde, pag. 291. Tom. conf. LINDENII *Physiol.* pag. 204. I. Opp. et PETIT. ad ARETAEVUM, pag. 186.

l) In Not. ad ANONYMI GRAEC. *Introduct. Anat.* cap. 40. pag. 78. et fusius, in *Comment.* in HIPPOCR. Lib. de Anatome, Tom. II. *Opuscul. nostr.* *Med. philol.* p. 270. sqq. ubi et simul accuratius egimus de metaphoricis illo sensu elegantissimo vocis σκῆνος, pro corpore, quo et ab ipso Apostolo scite pieque sumitur, 2<sup>a</sup> Cor. V, 1. et 4. ubi vid. *Comment.* a nobis ibi copiose laudatos.

m) Lib. IV. de Morbis, pag. 121. Tom. II. Opp. conf. et Lib. de Humor. pag. 322. Tom. I. Opp.

n) Lib. de Princip. aut Carnibus, pag. 120. Tom. I. Opp.

o) Vid. Lib. de Locis in Homine, pag. 363. item pag. 371. et pag. 373. Tom. I. et ita passim alibi.

p) *Serm. X. de instituenda secundum Deum Vita*, Tom. V. opp. in *Vet. Test.* pag. 140.

ἐπιλείψει ἢ τρίτων ἀρδεΐα, συνεπελείψει πάντως καὶ τῆ προσώ-  
 πος ἢ εὐμορφία: *Ex cibi confecti succo oculi, genae, nares,*  
*supercilia, labra, ac totum denique corpus irrigantur:*  
*quae si defuerit irrigatio; et illa formae ipsius venustas si-*  
*mul esse defuerit.* Quae scita veraque inprimis sententia adeo  
 vsque placuit eloquentissimo illi Demostheni sacro, vt eam sae-  
 pius in vastis festisque suis operibus, iisdem paene verbis,  
 repeteret. <sup>q)</sup>

Sed et alii Auctores graeci complures ex hac limpida  
 HIPPOCRATIS nostri *Hippocrone*, vt ita dicam, certatim  
 postea hauserunt, suosque veluti hortulos exinde affatim riga-  
 runt. Sic itaque CLEMENS ALEXANDRINVS <sup>r)</sup> Ἀνθρώπος  
 ἀρδεταί τε καὶ αὐξεται, συγκροτεῖται τε καὶ συμπήγνυται:  
*Homo irrigatur, et augetur, conflatur, et coalescit.* Item  
 et THEOPHILVS protospatharius <sup>s)</sup> de ipso Venae cauae  
 trunco, ad instar magni aquaeductus, in multos minores cana-  
 les distributo: κατασπειρόμενος εἰς τὸ πᾶν σῶμα, καὶ ἀρδεύων  
 ἅπαντα αὐτῆ τὰ μέρη: *dissipatus ille est per vniuersum*  
*corpus, omnesque ipsius partes irrigat.* Vt et ibidem, non-  
 nullis interiectis <sup>t)</sup> τὸ ἥπαρ διὰ τῶν φλεβῶν, ὡς δὲ ὀχετῶν τι-  
 νων, ἀρδεῖ τῆ σώματος τὰ μέρη καὶ τρέφει, καὶ αὐξεῖ αὐτὰ:  
*Iecur per venas, tanquam per quosdam canaliculos, ipsius*  
*corporis membra irrigat, alit et auget ista.*

Praesertim vero huc sedulo serioque conferendus ma-  
 gnus ille doctrina et eloquentia, sed maior tamen pietate et  
 probi-

q) Vid. Tom. IV. Opp. in *Vet. Test.* pag. 570. et Tom. VI. in *V. T.*  
 pag. 666. et passim alibi, in seqq.

r) Lib. I. *Paedagog.* cap. 6. pag. 100.

s) *De corporis humani Fabrica*, Lib. II. pag. 831. apud FABRIC. *Bibl.*  
*Graec.* Vol. XII.

t) Ibidem, Lib. IV. pag. 854.



probitate, THEODORETUS <sup>u)</sup>) quippe qui isti quidem metapho-  
 rifico loquendi modo impensius et frequentius fauet, vt ex  
 sequentibus certe locis clarissime, spero, patebit. Sic igitur  
 ille de nutritione per Venas: ἔδεν τῶν ζώντων μελῶν ἀποσερεῖ  
 τῆς ἀρδείας· ὀλκοῖς γὰρ καὶ ὀχετοῖσι εἰκόασιν αἱ φλέβες, ἀρδεῖν  
 τὸ σῶμα πεπισημέναι: *Nullum membrorum viuentium hac  
 certe irrigatione destituitur: Venae enim canales et aquae  
 ductus similitudine referunt, quibus corporis irrigandi of-  
 ficiū concreditum est.* Deinde paullo post, de ipso Deo <sup>x)</sup>):  
 ἀρρήτως ἐπιφέρει διὰ τῶν φλεβῶν τὴν ἀρδείαν τοῖς τῆ σῶμα-  
 τος μέλεσιν: *Arcano quodam modo ipsius corporis membra  
 per venas irrigat: denique etiam, paucis interiectis <sup>y)</sup>) de he-  
 pate, ex communi quidem sententia: πᾶσι τοῖς μορίοις τῆ  
 σώματος ταύτην διὰ τῶν φλεβῶν τὴν ἀρδείαν προσφέρει:  
 Omnibus ipsius corporis membris per Venas illam ipsam  
 irrigationem adfert.* Omitto iam studio, alia plura, vt de  
 Venarum ὑδραγωγίαις, et ὀχετοῖς, quam scitam comparatio-  
 nem iam dudum apposite instituerant hic ARISTOTELES <sup>z)</sup>),  
 PLATO <sup>a)</sup>) vt et PHILOSTRATUS <sup>b)</sup>), cum aliis, vt iam alibi  
 a me obseruatum <sup>c)</sup>). Sed et Latini Graecos hic, vt alias so-  
 lent, diligenter, imitantur. Ita PLINIVS <sup>d)</sup>): *duae grandes  
 Venae, sparsae ramorum serie, per alias minores, omni-  
 bus*

u) Orat. III. de Prouidentia, pag. 518. Tom. IV. part. I. Opp. quae diuina  
 certe Oratio huc tota spectat.

x) Ibidem, pag. 519.

y) Loc. cit. pag. 520.

z) Lib. III. de Part. Animal. pag. 64. 199. et Lib. II. de Generat. Animal.  
 pag. 227. 199.

a) In Timaeo, pag. 546. conf. LONGIN. de Sublimit. Cap. XXXII.

b) Lib. VIII. de Vita Apollon. Tyan. cap. 7. pag. 350.

c) In Not. ad Anonymi Anat. pag. 77. 199.

d) Lib. XI. cap. 37. pag. 799. Tom. I. Opp.



bus membris Vitalem sanguinem rigant, vt ibi legitur FLORVS <sup>e)</sup> quoque, vbi de lepidissima illa fabella facundi et sapientis Menii Agrippae agit, de membris contra ipsum Ventrem temere rebellantibus: *Rediisse artus in gratiam, quando sensissent, quod ventris Opera redactis in sanguinem cibus, irrigarentur*, quod ipsum certe LIVIVS <sup>f)</sup> adhuc elegantius exprimit, qui inde videatur. Sed audiamus iam etiam Liuium istum Christianum, vt ita dicam, siue LACTANTIVM, ita Liuiando veluti ore, venuste loquentem <sup>g)</sup>: *Deus visceribus ipsis venas admiscuit, quasi riuos, per omne corpus diuisos, per quos, (siue quas) discurrens humor et sanguis vniuersa membra succis vitalibus irrigaret*. Quibus et LVCRETII <sup>h)</sup>, CICERONIS <sup>i)</sup>, et aliorum hunc ipsum in sensum, loca commode hic adiungi possent, nisi spatium iam vetaret. Verum et Graecis et Latinis iam dudum exemplo praeiuerunt ipsi certe Hebraei, qui pari nempe modo ac tropo, verbum notum  $\text{ִּירְגַם}$ , *Irrigauit*, de ipsius corporis nutritione significanter nitideque adhibent, vt vel ex ipso IOBO <sup>k)</sup>, et aliunde

e) Lib. I. cap. 23. vbi vid. *Interpret.*

f) Lib. II. cap. 32.

g) Lib. *de Opificio Dei*, cap. VII. pag. 1156 sq. Edit. BÜNEMANNI conf. et ibidem, cap. XI. pag. 1183.

h) Lib. I. 351. et Lib. IV. 635.

i) Lib. II. *de Nat. Deor.* cap. 55. pag. 3036. Tom. IX. Opp.

k) Cap. XXI. 24. vbi de Homine sano, felici et bene pasto elegantissime dicitur:  $\text{מִן עֲצָמוֹתָיו יִשְׁקָרְטֵהוּ}$  hoc est: *Medulla Ossium ipsius irrigabitur*: quod graeci quidem Interpretes haud bene ita reddiderunt:  $\text{Μυελὸς αὐτῆ διαχέεται}$ , oscitanter nempe omittentes vocem, ad ipsum quidem sensum, maxime necessariam, scil.  $\text{עֲצָמוֹתָיו}$ , seu *Ossa*: quare potius et accuratius haec ipsa sic vertere debuissent:  $\text{ὀμυελὸς τῶν ὀστέων αὐτῆ ἀρδεύσεται}$ , quod ipsis certe verbis hebr. exactissime respondet. Sed de his haecenus, et veluti intransitu. Ceterum huc GRO-



aliunde clarissime patet; quos deinde in eadem allegoria obseruanda, pro more solito, sequutos esse Syros Arabesque, probe adnotarunt CASTELLVS, SCHINDLERVS, PAGNI-  
NVS aliique Lexicographi. Sed de his nunc haecenus.

Ita igitur nulla certe Comparatio conuenientior pressior-  
que institui atque inueniri poterat, quam quidem inter flu-  
men rapidum atque ipsam vitam nostram caducam et ocys-  
sime praeterlabentem; Omnia enim humana et homines ipsi  
*fluminis ritu feruntur, et ut vnda impellitur vnda, vrge-  
turque eadem veniens, vrgetque priorem, Tempora sic fu-  
giunt, pariterque sequuntur, vt poetae vere et acute loquuti*<sup>l)</sup>.  
Sed et philosophi, vt SENECA<sup>m)</sup>, EPICETVS<sup>n)</sup>, et prae-  
sertim MAXIMVS TYRIVS<sup>o)</sup>, aliique: vnde et notum istud  
proverbium natum: *Homo Euripus*, de quo vid. ERASMVVS<sup>p)</sup>  
aliique plures<sup>q)</sup>. Immo in ipsa Scriptura sacra haec certe simi-  
litudo inter flumen vitamque humanam, perquam apposita  
frequentius occurrit<sup>r)</sup> vt satis cognitum est: quo et pie ac sa-  
pien-

TIVS, CLERICVS, aliique Interpretes IOBI, praesertim autem SCHVL-  
TENS, vt recentiores iam taceam, diligenter sunt conferendi, si opus  
quidem fuerit.

l) HORAT. Od. 29. Lib. III. et OVID. L. XV. *Metamorph.* v. 181. sqq.

m) Lib. de *Breuit. Vit. de Prouid. Consol. ad Marc.* et in *Epistol.* passim.

n) Apud STOB. *Serm.* I. p. 5. et passim.

o) *Diff.* XXXVII. pag. 364.

p) *Chil.* I. Cent. IX. *Adag.* 62. pag. 347.

q) Conf. huc PLATONIS *Phaedon.* pag. 390. ARISTID. *Orat. de Concor-  
dia, ad Rhod.* pag. 560. Tom. I. MAX. TYR. *Diff.* XXV. p. 254 GRE-  
GOR. NAZ. *Orat.* XII. pag. 202. Tom. I. et *Orat.* XXVIII. pag. 478.  
sqq. et WESSELINGI *Not.* ad HERODOT. Lib. III. pag. 195. et alior.

r) Vid. *Iob.* VI. 15. et XIV. 11. item *Psal.* XC. 5. et passim in seqq. vt et  
apud *Siracid.* et aliis locis, vt notum.

pienter respexit ΑΧΗΜΕΤ<sup>s)</sup>, hoc acuto effato: οἱ ἀρδοντες τὴν γῆν πόταμοι εἰς τὴν ζωὴν διακρίνοντα τῶν ἀνθρώπων, *Flumina, quae terram irrigant, ipsam Hominum Vitam significant.* Vtrumque enim a paruis admodum initiis oritur; post sensim augetur et amplificatur; deinde nobis non animaduertentibus, rapidissime praeterfluit, atque terram subit, aut mare, sicque finitur et aboletur, adeo, vt ipsa vitae nostrae incrementa si bene computemus, damna potius sint; quam emolumenta.

Sicut porro flumen res animatas et inanimatas, pisces nempe aliaque aquatilia, et agros quoque ac prata, nutrit, auget et recreat: sic pariter succus nutritius, seu pinguis Chylus, sanguini Viribus iam exhausto et egeno commode infusus, et vndique aequaliter circumlatus superflua abluit, et necessaria alluit, spatia depleta et inania opportune replet, et nimis repleta deplet, arida ἀρδει, seu irrigat, ac deficientes vires tempestiue restituit; vt ita vbique in toto corpore conseruetur aequalis ἰσομετρία καὶ ἰσομορμία, vt scite loquitur THEODORETVS<sup>t)</sup> nec inde in partibus oriatur molesta et onerosa superfluae carnis et pinguedinis moles, seu ὄγκος εὐπερίστατος, vt perquam significanter loquitur *Apostolus*<sup>u)</sup> ad hanc ipsam noxiam *polysarciam* respiciens, et acute alludens, vt alibi a nobis latius et accuratus ni fallor, demonstratum<sup>x)</sup> sicut et de ipsa illa *inerti certe sagina super membra succrescente,*

C 2

vt

s) *Oneirocrit.* Cap. 176. pag. 256. vbi conf. GROTII Tom. III. Opp. in *Vet. Test.* pag. 29.

t) Tom. III. Opp. part. II. pag. 1227.

u) *Hebr.* XII. 1. vbi εὐπερίστατος ὄγκος idem fere est, ac εὐπερίθετος τροφή, apud HIPPOCRAT. Lib. de Aliment. p. 598. sed haec obiter.

x) In *Clinotechnia*, Sect. III. pag. 255. sqq. vsque ad pag. 266.



vt eleganter SENECA ait <sup>y)</sup> siue *superflua pinguedine*, alio quoque loco a nobis sufficienter, spero, actum fuit <sup>z)</sup>. Sed fuuiamus iam, hem! tempus demum est, et quidem eiusdem summi philosophi sapientissima sententia, huc certe perquam apposite faciente <sup>a)</sup>. *Fluunt omnia, et in assidua diminutione atque adiectione sunt*, (hoc est ἀφαιρέσει καὶ προσθήσει HIPPOCR.) *Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuuenis; nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more: quidquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quae videntur, manet: Ego ipse, dum loquor, mutari ista, mutatus sum. Vbi vid. reliqua, hoc nostrum quidem de Alluione medica, argumentum mire ac mere illustrantia. Sed claudamus nunc demum riuos! scet enim iam prata biberunt.*

Vt vero haec nostra *Alluio alimentaria* in publicum emanaret, atque Lectorem nostrorum animos blanda aliqua voluptate si non inundaret; forsan tamen non nihil irrigaret; peropportunam sane occasionem nobis praebuit haec ipsa *Dissertatio Medica Inauguralis de Motu peristaltico Ventriculi et Intestinorum physiologice ac pathologice considerato*: qui ipse nempe plurimum profecto confert ad istam quidem Alluionem promouendam et absoluendam, vt satis certe notum. Istam igitur sub meo tantum praesidio, pro *Doctōris Gradū*, d. XX. Aug. publice habebit ipse illius Auctor,

VIR

y) *Epist.* CXXII. pag. 490. conf. et *Epist.* XV. item *Lib.* IV. *de Benefic.* cap. 13. et *Lib.* *de prouid.* cap. 2. ac passim alibi.

z) In *Dissertat. de Pinguedine, ceu succo nutritio superfluo*, quae auctior inserta fuit *Tom.* I. *Opusculor. nostror. Medico philol.* pag. 293. sqq.

a) *Epist.* LVIII. pag. 150. sqq.

VIR

NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS  
 TRAVGOTT AVGVSTVS BIENERVS,  
 SORBIGENSIS,  
 MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS.

qui nunc Vitam suam huc vsque in studiis laudabiliter trans-  
 actam plenius ac diligentius ipse exponet:

Ego TRAVGOTT AVGVSTVS BIENERVS,  
*Sorbigae* in Misnia, anno MDCCLXV. die XXI. Mensis  
 Iunii, hoc vitale lumen adspexi. Patrem nactus sum IOAN-  
 NEM WILHELMVM BIENERVM, artis medicae Licentia-  
 tum ac practicum, matrem IOANNAM CHRISTIANAM  
*e gente Ottona* ortam, cuius ex viuis discendum, qui factus  
 est ante annum, et quod excurrit, proh dolor, maximopere  
 adhuc lugeo, et semper dolebo, huiusque dilectissimae matris  
 cineres in aeternum cum omni pietate venerabor: Vt sum-  
 mum vero atque aeternum numen, patrem carissimum diutif-  
 sime adhuc saluum incolumemque conseruet, eius senectutem  
 iucundam esse iubeat, supplex oro atque obtestor. Hi optimi  
 parentes, omnem mouerunt lapidem. vt illis artibus, quibus  
 puerilis aetas imbuti solet, instruerer. Primum praeceptorem  
 nactus sum WAGNERVM, cuius obitum doleo, Rectorem  
 scholae urbanae, a quo publicis aeque ac priuatis institutio-  
 nibus instructus sum. Posthaec *Portam* me contuli, et in  
 hoc illustri Prouincial Lyceo, ab anno LXIX. huius seculi, vs-  
 que



que ad annum LXXV. Doctissimorum Virorum, GRABNERI, HAVCKII, BECKERI, BARTHII, GEISLERI, FERBERI, KLVGII, HÜBSCHII, et SCHMIDII vsus sum disciplina. Quibus praeceptoribus et in vita adhuc superstitibus et mortuis, maximas quas possum, ago gratias. Abii inde *Witebergam* anno LXXV, et in numerum studiosorum, Rectore tunc Academiae Magnifico, D. MARTINO GOTTLIEB PAULI, sum receptus. Omnem philosophiae cursum ac physicas doctrinas me docuerunt Viri Excellentissimi HILLERVS ac TITIVS. Cum vero animum ad artem salutarem applicare vellem, praelectionibus doctissimis Viri Magnifici atque Experientissimi BOEHMERI interfui, qui me non solum in Physiologia, Botanica, Materia medica, Pharmacia, Osteologia atque exercitationibus disputatoriis, solertissime erudiuit; sed semper etiam me grauissimo patrocinio suo atque amore exornauit, cuius tot tantaque in me beneficia extant, vt publice illi maximas ac summas agere debeam gratias. Magna ac permulta quaque sunt erga me beneficia fenis venerabilis, Illustr. ac Magnif. TRILLERI, ex cuius colloquiis priuatis, nunquam nisi doctior factus discessi. Interfui etiam D. Magnif. LANGGVTHII praelectionibus chirurgicis, artis obstetriciae et Medicinae forensis, non sine summo emolumento. Non possum quoque sine crimine ingrati animi, reticere, quae extant in me plurima D. ac Profess. Extraord. NÜRNBERGERI benemerita, quae tot tantaque sunt, vt non solum publice illi maximas agere debeam gratias, sed recordatio etiam huius viri doctissimi, semper mihi adeo erit sancta, vt non nisi cum vltimo halitu vitae meae, perire vnquam possit. Ille enim non solummodo Pathologiam et Therapiam vniuersam mihi explicauit; verum etiam circa has doctrinas priuatis supra illas institutis exami-

exami-

examini- bus clariorem ubique lucem accendere studuit, et ar- tem concinnandi formulas medicas mihi demonstra- uit, neque minus consiliis atque officiis me adiuuit, ut fidum amicum in eo a latere semper haberem. Ex demonstrationibus quoque anatomicis nec non praelectionibus chemicis Experientiss. D. LANGGVTHII iunioris, uberrimos pariter collegi fructus. Praedicandus etiam est vel maxime ELECTOR ac PRINCEPS SERENISSIMVS, qui me per tres annos, stipendio electorali subleuauit. Et celebrandi denique etiam sunt PROCERES HVIVS ACADEMIAE, qui me per duos annos, stipendio vateriano medico exornarunt, quibus etiam publice pro hoc beneficio, summas habeo atque persoluo gratias. Haecenus quidem ille;

Ad solennem igitur hunc *Promotionis Actum*, dicto XVI. Mensis August. die, publice cum Deo, celebrandum, ipsum *RECTOREM MAGNIFICVM*, utriusque *Reipublicae Procere*, ac *Generosissimos denique et Nobilissimos Litterarum meliorum studiosos, Fautores et Amatores* omni, qua par est, obseruantia et humanitate, hisce inuitamus p. p. Wittebergae, Dom. IX. post Fest. SS. Trinit. A. cl̄l̄oCCLXXXI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries.